

quoties deliquisset, toties se laverat in lacuna domestica, ne ex fœtore masculus adulterium deprehenderet. Verum rusticus id advertit tandem, hospes ciconiæ, et transgressum maris thalamum a lotionis prohibuit. Prodita igitur masculo femina, ab eo primum deserta fuit, ita ut proles sola nutrire cogeretur. Postea cum migrationis tempus omnibus instaret, adduxit mas ciconias in vicinâ existentes proposuitque eis adulteram, quæ et mox ab illis dilaniata est. Accidisse hoc in pago Baviaræ Degen addit prædictus auctor. Si nilia producit Aldrovandus jam citatus. Nec tacendum, quod hoc scelus neque in homine sustinuerint, quin id marito proderent; quod narrat Ælianus his verbis: « Ciconia rivali invidia laborare fertur: nam cum in Cranonæ Thessaliæ ciconiæ formæ mulier, cui nomen esset Aleyone, a conjugis peregre profecto domi relicta stupri consuetudinem cum se quodam fecisset, hoc quidem ipsum ciconia intelligens, serviles injurias in dominum non sustinuit, quominus, quam mox facto impetu eum sensu oculorum orbans, injuriam in dominum illatam ulcisceretur. » Proh Deum! Quid hic sentiant conjuges qui legitimi thori fidem violare audent? Nonne exclamandum est cum Job, c. XII. *Interroga jumenta et docebunt te: et volatilia cœli et indicabunt tibi? Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Cæterum quam castæ sint, quantoque amore se complectantur ciconiæ conjugatæ, inde quoque liquet quod cum mares feminarum adventum decem ferme dierum intervallo antevertant, jamque nido, si forte violatum reperiunt, reparato eas sollicitè expectent; feminae non ad alios accedant, sed singula suos conjuges eodem, quo ante, amore inquirant: mares vero harum adventu mire gratulentur et alis suis applaudant. At ubi jam nido acceperit, dii boni, quam dulcis salutatio! Quanta ob felicem adventum gratulatio? Quos complexus, quam blanda cernas oscula? Id omne in conspectu nostro ad instructionem conjugum, qui pone illas habitant, ut pari se amore et ipsi amplexerunt, a Deo prospectum est.

Quare, o christiani conjuges, respicite volatilia cœli, contemplantini duces vestros, et quidem in fastigio domorum vestrarum, quasi in cathedra constitutos, ut inde velut doctores vestri cœlestem vobis disciplinam instillent. Quamvis enim turpe sit hominem ratione præditum a brutis animantibus capessere doctrinam, cogitandum tamen est longe turpius esse vinci a brutis tantoque majus supplicium subiturum hominem, quanto minus conformem rationi vitam instituit: cum rudia animalia naturali impulsu faciunt,

quæ homo tot mediis adjutus atque stimulatus facere contemnit. Quare vos, novi conjuges, hos duces ne spernatis; siquidem et Christus ad volatilia nos remittit, cum sollicitos esse vetat. Estote ergo ciconiarum discipuli, ut aliorum conjugum fiat speculum et magistri.

CONCIO XXII.

PATER FAMILIAS SIT QUASI REX IN DOMO, MATER FAMILIAS EJUS QUASI PRÆFECTUS, EX DOCTRINA S. CHRYSOSTOMI.

Quæ causa esse potest, quod majores nostri sponso corona redimitos ad nuptias prodire noluerunt? Numquid non corona, regum insigne est? An igitur sensere sponso quasi reges quosdam esse? Ita profecto testatur D. Chrysostomus, homil. XXXI. in lib. ad Corinth. cum ait: *Est ergo loco quidem regis, maritus; præfecti autem et legati, uxor.* Idemque repetit hom. XXVIII. in eadem epist. Ex quo intelligimus virum in domo sua esse quasi regem, uxorem quasi præfectum ejus. Quod etiam de persona sua testetur S. Job cum ait cap. XXIX. *Cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen marentium consolator.* Non videtur Job militari aliquo exercitu fuisse stipatus, dum nihil de hoc Scriptura meminerit; loqui igitur videtur de familia sua admodum numerosa, quæ illum velut regem venerabatur et colebat. Nec immerito, sicut enim quis princeps in suo dominio rex est, ex sententia jurisperitorum: ita et paterfamilias in domo sibi propria. Cæterum hunc principatum ut communicet vir uxori, tanquam rex præfecto suo, desiderat Chrysostomus, colligitque ex Dei decreto, quod Adamo dedit, cum solus adhuc Adam in mundo absque uxore degeret, verbis illis: *Crescite et multiplicamini et replete terram, etc.* Ecce enim quasi ad plures dirigit sermonem, cum Adæ soli loqueretur? Respondet ergo hom. XIX. in Genesi, Sanctus Chrysostomus, tradidisse quidem Adamo Deum totius orbis imperium; ita tamen, ut meminerit non totum sibi præripiendum sed dividendum esse cum uxore, ut et ipsa velut præfectus regi subditus imperii partem habeat. *Vide misericordiam, inquit, antequam producat mulierem, participem illam facit imperii, et benedictionis honore dignatur.* Porro sicut rex majora regni negotia, præfectus regis minora curat: ita quoque vir et uxor in regno familiæ. Quæ nunc aliqua ex parte exponemus.

I. Paterfamilias velut rex mane primus surgat ad domum ordinandam, regium hoc mu-

nus esse docet Plutarchus, in lib. ad imperit. princip. exemplo regum Persarum, qui sub ortum solis excitabantur ad officium faciendum. « Quotidie, inquit, cubiculariorum unus, eam ad rem constitutus, mane intrans regis cubiculum clamabat: Surge, o rex, et negotia cura, quæ te Mesoromastes (hoc est sol) curare jubet. » Si hoc reges illi, qui deliciis usque ad aures immersi erant, quanto magis ad hoc obstricti erunt patres alii familias, qui labore manuum familiam sustentant? Tradidit hoc idem Aristoteles, in œconomicis: « Expergisci, inquit, decet prius dominum quam servum, et cubitum ire posterius, nec unquam incustoditam esse domum. » Idem docent Cato de re rustica, cap. V. Cicero lib. de divin. qui hoc præceptum ei dant: *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat.* Ratio est, quia regis ad exemplum componunt se subditi, et: *Milites, inquit D. Chrysost. homil. I. ad pop. ducem suum lecto detentum cernentes segiores fiunt, et ad pugnam tardiores.* Confirmat idem Ecclesiasticus, c. X. *Secundum judicem populi, inquit, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Exemplo est rex, Joas, qui ut scribit Josephus, lib. IX. antiq. cap. VIII. « A pristinae religionis cura facile descivit, moxque et principes populi consimilem in modum depravati sunt, adeo ut nihil antiquius haberent, quam juris et justitiæ contemptum. » Idem fieri in œconomico quovis nihil dubium. Qualis ipse ad labores fuerit, talis et familia erit.

II. Pietatem domesticos doceat. Ita monet S. Augustinus, tract. LI. in Joan. « Unusquisque paterfamilias, inquit, agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo, et pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam. Ita domo suo ecclesiasticum, et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. « Hoc sensu Constantinus M. imperator dicebat se esse episcopum extra Ecclesiam; quia et domum suam sancte instituebat, et Ecclesiam, quibus poterat modis, conservabat, et propagabat. Ergo cum patriarcha Jacob præeat domesticis ad rem divinam, statuto tempore: *Surgite, dicebat Jacob ad familiam suam, Gen. XXXV. et ascendamus in Bethel.* (hoc est domum Dei) *et faciemus ibi altare Deo.* Deinde ad faciendam mensæ benedictionem preces inchoet, aut familiæ demandet, ne vincatur aut confundatur a Judæis, de quibus ista refert Rabbi Kimhi: « Moris erat apud Hebræos, ut paterfamilias initurus magnum et solemne convivium præiret verbo, et accepto in manus pane, precaretur

regem mundi, ut illud vellet esse salutare, et postea accepto poculo idem dicere, » apud Menoz. in l. I. Reg. c. IX. Ita quoque in domo Samuelis nemo assidebat mensæ, donec Samuel paterfamilias benediceret prius epulas, I. Reg. cap. IX.

III. Magna cura liberos suos educet. Ita monet Ecclesiasticus, c. VII. *Filii tui sunt? Erudi illos et incurva illos a pueritia illorum. Filia tibi sunt? Serva corpus earum, et ne ostendas hilarem vultum ad eas.* Amandi quidem sunt liberi, sed in ordine ad salutem eorum æternam. Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum regi interroganti, quæ esset maxima negligentia, unus ex Septuaginta interpretibus ordine quadragesimus primus respondit: *Si quis non curat liberos, nec eos educando quam diligentissime informat. Nam oramus, inquit, Deum semper, non tam pro nobis, quam pro liberis nostris, ut illis adsint omnia bona, apud Aristæam.* Communiter parentes satis se prospicere liberos existimant, si divites post se relinquunt? Parum aut nihil curant probosne, an improbos. Quos vel ethnicus ille Socrates accusat apud Xenophontem. « Qui filiis, ait, multis opibus prospiciunt, ut autem boni et egregi evadant, negligunt, simile quid agunt equos alentibus, quos belli disciplinam non docent, multum vero pabuli exhibent. Sic enim equos habituri sunt pinguios, sed rerum quas præstare oportebit, imperitos. »

IV. Erga servos domesticos æquum simul et benignum se exhibeat. Audiatur imprimis Ecclesiasticus, capit. XXXIII. *Si est tibi servus fidelis, inquit, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem tracta illum.* Et rursus, cap. IV. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.* Rex apud caret aculeo: et reges sæculi dedecet maxima plectere ex ira subditos. Caveat ergo paterfamilias, ne verbera infligat famulis; tametsi timeri quoque debeat, juxta id D. Bernard. lib. IV. ad Eugen. de confid. *Ament te domestici tui, si non, facito ut timeant.* Cæterum patrem se potius, quam dominum exhibeat, ut amari magis quam timeri debeat. Idcirco enim antiqui patresfamilias appellari eo voluerunt, testante Prætexato apud Macrob. lib. I. Saturn. cap. XI. « Tu, inquit, vivo cum servo tuo elementer; comiter quoque, et in sermonem, et nonnunquam in necessarium admitte consilium; nam et nostri majores omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes dominum patrefamilias, servos familiares appellaverunt. Colant igitur te potius servi tui (mihi crede) quam timeant. » Hujusmodi paterfamilias fuit Job, qui subinde remittens animum ridebat

cum servis suis, tali tamen cum gravitate, ut nihil auctoritatis deperderet, sed interim quoque timeretur. Ita enim ait, capit. XIX. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* In quem locum Sanctus Gregorius, lib. XX. moral. cap. III. scribit, quod : « Vir sanctus talem se exhibuit subditis, ut etiam ridens timeri potuisset. Qua in re docemur, quod talis debet esse dispensatio regiminis ut is, qui præest et irridens timeri deceat, et iratus amari. Ut enim nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. » Idem c. VIII. illustrat typo virgæ Aaronicæ, quæ simul cum manna servata in arca fuit : *Quia cum Scripturæ sacræ scientia est in rectoris pectore, inquit, si est virga distractionis, sit et manna dulcedinis, etc.* Alioquin si servo vix aliquando verbum suave audiant a dominis, sed murmura et convicia solum, fit quod Macrobius ait : *Ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet, l. I. c. XI.*

V. Mater porro familias veluti præfectus regis circa inferiora et faciliora domus munia se occupet, velut in regimine infantum, et filiarum et ancillarum; atque in primis imitetur egregiam illam matremfamilias, descriptam a Salomone, Proverb. XXXI. de qua inter alia dicit : *De nocte surrexit deditque prædam domesticis suis et cibaria ancillis suis.* Qualem vero prædam? An ferinas carnes, quas maritus foris venatione cepit? An potius epulas, quas ipsa sudore et labore suo velut venando comparavit. Utrumque verisimile est et laudabile. Cæterum eum textum sic Chaldæus legit : *Surrexit de nocte deditque escam domui suæ, et pensum ancillis suis.* Summo ergo mane et ipsa surgat, datoque admorsu familiaris, dividat filiabus et ancillis pensa sua, quæ absolvant eo die, sive in lana et lino, sive acu et colo. Neque hoc dictum putes rusticanis dumtaxat feminis, siquidem id Salomon de nobili asserit femina. Subdit enim : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.*

Secundo, domus curam habeat circa res minutiores, et secretiores, quæ virum foris versantem facile latent, neque decent. Hoc imprimis edoceri eas voluit apostolus ad Titum II. ut nimirum sint *domus curam habentes*, significantius Græce, *domus custodes*; ne scilicet per alienas domos vagentur (hoc enim reprehendit I. Tim. V. vers. III.) sed assidue domi manentes familiaris attendant, cum viri sit publica et privata negotia foris ut plurimum tractare. Idque egregie præstitit sapiens illa mulier, laudata a Salomone, c. cit. *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.* Semitas, inquit, non vias publicas seu regias, quo videlicet inte-

riora et occultiora quæque rimetur in domo, omnium familiarium labores expendat atque examinet. Ad quem finem efformatam esse a natura molliorem mulieris complexionem scribit Xenophon : *Mihi videtur, inquit, Deum naturam mulieris ad curam intus suscipiendam in lucem protulisse molliori corpore ut intra parietes officium obiret, apud Salazar. in c. XXXI. Prov. vers. XXVII.* Quod vero addit Salomon : *Et panem otiosa non comedit, in Hebræo sic habetur : Et panem incuriæ non comedit.* Hunc incuriæ panem comedunt matresfamilias, quæ domus suæ curam non habent. Verum diu non comedent, ad instar locustæ, quæ in æstate cantilando panem suum in otio absumpsit, in hieme postea fame periit : cum e contra formica omnia perlustrans victum sibi in æstate parat, quo se conservet in hieme.

Tertio, lactet infantes suos, et magna sollicitudine educet, donec succrescant. Quod imprimis eis natura insinuat, dum statim, atque prolem suscipiunt, lac præbet. Numquid frustra? Nonne ad lactandum infantem præbet nutrimentum? Hinc, ut ostendit S. Basilius, hom. IX. hexam. nullum feræ genus est, quod non alat proles suas, vel alteri alendas committat, tametsi sævissimum, imo tantum est in ipsis feris et avibus nutriendi et incubandi desiderium, subinde ut pro hoc officio mas et femella contendat, ut patet in cynis et ursis. Solæ inter animantes sunt aliquæ matres, quæ aliis nutricibus exponunt fetus suos alendos, magno sæpe illorum damno, cum videlicet sint obnoxie infirmitatibus, necnon et animæ vitiis. Accedit quod ejusmodi proles, a matribus non lactate, minus ament matres suas. Proponant sibi matres exemplum Virginis Deiparæ, quæ sane lacte proprio pavit Filium suum. Proponant et Saram, quæ et ipsa, nobilis licet et formosissima femina, lactavit suum Isaac, ut habetur Gen. XXI. Cujus exemplo : « Provocantur feminæ (inquit Sanctus Ambrosius, lib. I. de Abraham, cap. VII.) meminisse dignitatis suæ, et lactare filios. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendant viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint uberibus suis. » Neque solum plus amare proles, sed et plus amari etiam ab iis solent, quod experientia docet. Plus namque amant nutrices expositi infantes, quam suas matres.

Quarto, optimis quoque moribus informet proles suas, ac filias in primis, cum adolescent. Dictum sibi putet id Ecele. VII. *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum* : vulgo dicitur : *Virginibus aut murus* (hoc est monasterium) *aut maritus.* Non abludit hinc Chrysostomus, qui hom. LX. in

Joan. et hom. X. in I. ad Cor. et l. de sacerdotio, III. ait : *Virginem oportet undique tamquam murum circumseptasse, et toto anno raro domo egredi, idque demum cum inæcusabiles ac necessariae causæ urgebunt.* Addit Sanctus Ambrosius, in exhort. ad virg. aliisque locis : *Ipsa quoque ad Ecclesiam progressio rarior sit in adolescentulis.* Neque hoc solum, sed et informare filias studeat mater; quod etiam docet Chrysostomus, hom. IX. in I. ad Tim. « Matres (inquit) filiarum vobis curam assumite. Est ea cura vobis perfacilis, curate sollicitè, ut domi jugiter sint. Ante omnia pias, religiosasque esse docete, aspernari pecunias; exteriorisque ornatus contemptrices esse; atque ita demum nuptiis tradite. Eas si ita institueritis, non ipsas modo servabitis, sed et viros, qui illas ducturi sunt : neque viros tantum, sed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumque omnium merces vobis reddenda est. » Ac denique sic concludit : « Ita nempe paterna domo decet progredi virginem ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palestra luctatorum, ut omnem diligentissime rei familiaris peritiam habeat, sitque veluti fermentum, quod massam omnem in suas transfert pulchritudinem. » Sic ille.

Ex quibus omnibus perspicimus non solum, quam honorificum munus habeant sponsus et sponsa, seu pater et materfamilias, verum etiam quantum sibi mutuo honorem impendere debeant. Id enim ex dicto illorum munere colligit S. Chrysost. hom. XXVIII. in I. ad Cor. « Quemadmodum, ait, rex tanto clarior apparet, quanto præfectum suum clariorem ostendit, quem si inhonoraret, et contumelia illius dignitatis magnitudinem afficeret, non parum gloriæ suæ partem auferret : itidem et tu (marite) si illam, quæ secundum post te locum obtinet, contumelia afficis, non parum principatus tui honori derogas. »

Vos igitur novi conjuges, cujus dignitatis participes facti sitis, cogitate, et nolite eam aliquando degeneri conversatione violare : nolite coronas vestras spuris fœdare gemmis, sed potius tenete quod habetis : *Ut nemo accipiat coronas vestras, Apoc. III.*

CONCIO XXIII.

VIR UXOREM REGAT, SICUT NAUCLERUS NAVIM,
EX PROV. SALOMONIS.

Non dubito, quin sponsus talem sibi sponsam quærat et exoptet, qualem expetiit Salomon,

Prov. XXXI. quando dixit : *Mulierem fortem quis inveniet?* Fortem, sive ut alii legunt, mulierem opem, bonam, virilem et industriam, qualem describit Salomon, quæ ad comparandas opes strenue ipsum juvet, easque industria sua comparat. Verum novit sponsus hujusmodi uxorem ab eodem Salomone appellari navim panibus oneratam : *Facta est quasi navis institoris, inquit, de longe portans panem suum.* Ecce tibi navem, sponse, quæ panes tibi adferet alendæ tuæ familiaris : sed quis ejus nauclerus? Utique maritus, cujus industriæ incumbat hujus navis gubernatio. Jam tu considera, sponse, qua arte hanc navim dirigas, ne te cum ipsa perdas. Quod ut feliciter præstes, ecce tibi e sacris Scripturis et viris doctis suggeram leges aliquas, quibus id efficias.

I. Primo omnium, honora conjugem tuam, quemadmodum et nauclerus adornat navim suam dando ei nomen honorificum, v. g. alicujus sancti aut regis, depingendo imaginibus, illustrando vexillis, etc. Unde Plautus dixit : *Mulier et navis nunquam satis ornentur.* Quod ergo nauclerus navi, hoc præstat vir uxori. Honorifica cohonestet eam appellatione, quemadmodum Abraham Saram appellavit dominam suam. « Honora eam, inquit S. Chrysost. XX. in epist. ad Eph. et non opus habebit, ut honoretur ab aliis : non egebit ab aliis danda gloria, si ea fruatur, qua tu eam affeceris. Eam præpone omnibus propter omnia et propter pulchritudinem et sapientiam, et eam orna laudibus. Ita ei persuadebis, ut nulli extraneo animo adhibeat, sed alios omnes irrideat. » Sic ille. Idem præcepit S. Petrus, ep. I. c. III. *Viri quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem.* Cui consentit Paulus, I. Cor. XII. cum ait : *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorum circumdamus.* Jam vero existimatur mulier ignobilior esse pars viri, majori igitur honore condecoranda est; idque faciunt nobiliores ac prudentiores viri, qui primas ei deferunt, et sedem a dextris collocant, uti sponsus ille celestis sponsæ suæ, Ps. XLIV. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Graviter ergo delinquant, qui uxores verberant, non tam uxoris, quam sua maxima ignominia. Id quod a : *Gentium legislatoribus, inquit D. Chrys. hom. XXVI. in I. Cor. cognoscere licet qui quæ vapulaverit, non amplius cum marito habitare cogunt, utpote qui indignus sit, ut cum ea amplius consuetudinem habeat, etc.* deliraret plane nauclerus qui navem suam, sic ubi impigisset, aut rimam egisset, verberibus muletaret, aut dissolveret; suamet enim perniciem sibi et interitum

strueret. Nihil plus sapit, qui uxorem suam indigne tractat. Eam enim, ut ibidem subdit Chrys. *Si perturbatione et tumultu impleveris, tibi ipsi longe gravius strues naufragium.*

II. Patienti animo ferat ejus defectus, et si quæ habeat vitia; quemadmodum et nauclerus non moleste fert fœtorem, qui ex pice et sentina navis oritur, ejusque nares infestat, quia nimirum attendit ad proventum, quem ab onusta mercibus navi expectat. Simili in causa interpellatus aliquando ab Alcibiade Socrates, quod uxoris suæ Xantippes querulam morositatem tamdiu sustineret, ei respondit: *An tu domi tuæ non toleras gallinas crebro glaciens? Tolero, inquit Alcibiades, sed ova mihi pariunt et pullos. Et mihi, ait Socrates, mea Xantippe parit liberos, Laert. in vita. Huc etiam spectat, quod S. Chrys. hom. XXVI. in I. Cor. scribit: « Fertur, inquit, quemdam externorum philosophorum, cum uxorem haberet pravam, et temulentam, et interrogaretur qua gratia ejus mores toleraret, respondisse: Ut gymnasium et palæstram philosophiæ domi haberem. Ero enim, inquit, cum aliis mansuetior, cum in ea quotidie toleranda erudiar. » Post hoc subjicit vir sanctus: « Multum ego doleo, quod gentiles nobis sint sapientiores, nobis inquam qui angelos imitari jubemur vel potius ipsum Deum per mansuetudinem. » Præter hoc considerandum est, quod idem s. pater ibid. scribit: *Incitat mulier inquis. Verum considera mulierem debile vas esse: tu autem vir propterea princeps factus es, et capitis loco datus, ut subditæ feras imbecillitatem.* Nonne magnum dedecus viro est, si cum muliere rixetur? Viro forti, si cum puero? Nonne is cachinnis spectantium se exponeret? Vidit hoc gentilis Socrates. *Cum enim uxor in publico pallium ei detraxisset, et familiares admonerent, ut injuriam manu ulcisceretur: Pulchre inquit, nimirum ut nobis colluctantibus acclametis: Eia Socrates, eia Xantippe, Laert. in vita. Profecto fœdum esse, si hoc indecorum, quod gentiles apprehenderunt, Christiani non apprehenderent. Non ergo ducat uxorem, qui nescit condescendere, non suscipiat gubernacula, qui non fert sentinam navis.**

III. Ignorantem instruat ac dirigat, exerrantem suaviter admoneat et seducat: quod si illa gravius delinquat, verbis asperioribus emendet. Sic enim et navis gubernaculo dirigenda, et a scopulis deflectenda: cumque imperium navarchi non admittit, anchoris sistenda et coercenda est. Imprimis ex consilio D. Chrys. hom. XX. in ep. ad Eph. docet eam: *Nihil in vita esse terribile præterquam Deum offendere.* Item, doceatur quod paupertas nullum sit malum. Doceatur despi-

cere gloriam. « Et nihil hujusmodi dicet mulier, nec concupiscet. » Et mox: « Suadeat, ne sit ei aurum pendens ex auribus, nec eam induatur in genis et collo, nec id repositum habeat in thalamo, neque vestes aureas et sumptuosas: sed sit quidem elegans ornatu, sed non ad probrum et contumeliam recidat elegantia. » Et ho. XXVI. « Quando aliquid molestum domi evenerit, quod ea peccarit, consolare, nec auge dolorem, etc. » Et infra: « Si contigerit non bonam neque tolerabilem domum duxisse sponsam, tunc suadeo eam omni ex parte componere, et nihil eorum objicere. Nam mercator quoque priusquam cum socio pacta conventa fecerit, quæ possint pacem conciliare, non prius navem deducet in mare, neque aliam attinget negotiationem. Et nos ergo omnia agamus, ut negotiationis nostræ vitæ sociam et hujus navis cum omni pace intus teneamus. » Exemplo est Tobias, qui uxoris insultationem patienter audiens silentio pressit et gemitu, Tob. II.

Rursum quando nimiam de ejus ablegato filio sollicitudinem increpuit, illis minime acerbis verbis: *Tace et noli turbari, sanus est filius noster, satis fidelis est vir ille cum quo misimus eum, Tob. X.* Similiter et Job. qui conjugem impia suadentem gravius reprehendit, uti merebatur: *Quasi una de stultis mulieribus locuta est. Denique hoc ipsum et cum nave nauclerus ait, cum rimas agit, aut alicubi perforata est, non eam dissolvit, sed reparat et foramina obstruit, rimas occludit. Ita agendum cum uxore præcipit S. Paulus ad Eph. V. Nemo enim unquam, ait, carnem suam odio habuit, sed fovet et nutrit eam: quin etiam cum infirmatur aut læditur, medicinis licet asperis et emplastris quoque mordacibus reducit ad sanitatem.*

IV. Magnam erga ipsam habeat confidentiam committendo ei claves domus et rem familiarem: non admittendo facile suspicionem de ipsius fide: permittendo ei libertatem ad peragenda sua munia. Hunc in modum nauclerus committit navi merces, et quam vehit secum familiam suam, tamquam solidæ et bene compactæ, armamentis quoque et necessariis rebus instructæ! Hæc talis confidentia uxorem animabit, incitabitque ut magis strenue rem gerat, et virum plus diligat, magisque ei fidelis sit. Testem advoco Salomonem, qui cum Prov. XXXI. fortem et industrem mulierem exoptasset, subdit mox: *Confidit in ea cor viri sui, et sociis non indigebit, q. d. si vir tali conjugi confidat, et habenas ad curandam rem domesticam permittat, nec de fide temere suspectam habeat, sentiet enim tam industrem ac strenuam, ut non*

habeat opus apud castra mœreri et spolia quærere. Italico proverbio navis ita nauclerum alloquitur: *Salvami dalla terra, e ti salverò dall' onde, h. e. serva me a terra, scopulis scilicet brevibus, arenosis et vadosis locis, et ego te servabo a submersione et naufragio. Sic etiam dicere licet viro. Noli uxorem zelotypia et diffidentia impellere in mœrorem et pusillanimitatem: et ipsa non impellet te in ruinam, sed potius servabit et augebit tibi rem familiarem. Unde mox addit Salomon: *Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitæ suæ.* Quantum vero possit industria uxoris, idem Salomon, Pr. XIV. edixit verbis illis: *Sapiens mulier ædificat domum, insipientis extructam quoque manibus destruet.* Hujusmodi fuit Anna Gandula Uladislai, Hungariæ et Boemiæ regis conjux, quæ viro parum ad opes parandas attentio sua industria abacum totum aureum, suppellectilemque omnem ex auro et argento præparavit, apud Dubran. I. XXIII. Cæterum observandum, quod monet Ecclesiast. ne seipsum maritus subjiciat, et concredat suæ conjugi. *Mulieri odibili, inquit, non credas te in toto corde tuo, Eccl. c. VII. et IX. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris.* Idipsum observat nauclerus, tametsi enim navi credit et committit merces suas, velut solido et bene compacto vehiculo, seipsum tamen non ita credit ut merces, projiciendo nimirum se in navim et dormiendo. Non, sed vigilat et attendit navi, nec sinit eam qua venti et fluctus impellunt, pro impetu suo ferri. Quod si fecissent Adam, Samson, Salomon, neque adeo temere se et salutem suam uxoris commisissent, non se perdidissent.*

V. Bono eam exemplo ad sui imitationem invitet. Sic nauclerus in prora tenens gubernaculum, seu temonem, quamlibet in partem flectit navim et reflectit. Documentum hoc tradit viro Aristoteles, in æconomicis: *Si mulier, inquit, cognoverit sibi castum et fidum virum, ipsa etiam casta et fida erit.* Idem confirmat S. Chrys. hom. XX. in ep. ad Ephes. « Etsi, inquit, inverecundior sit puella, scit ad tempus silere, mariti mota reverentia, et rerum quibus non assuevit novitate. » Et infra: « Quomodo autem non solves pudorem (uxoris) quando cerneris ipse non minus, quam illa erubescens, pauca quidem loquens, eaque cum gravitate et animadversione. » Plutarcho teste, imperium mariti in uxorem hujusmodi est, quale est animi in corpus. Quis autem nescit corporis membra adamussim se conformare animi imperio et propensione? Idem vir sapiens dicebat: « Ut rex musicæ studiosus complures reddit musicos; litterarum studiosus doc-

tos; aleator aleatores; rapax rapaces: ita vir contemptus similem reddet uxorem; voluptuarius incontinentem; castus et sobrius castam et sobriam. » Exemplum accipite a viro nobili Croata, qui duxerat nobilem itidem feminam, Styram, in prædio Styriaco Stainhoff dicto habitantem, sed Lutheranæ sectæ addictam. Hæc cum diebus esurialibus pro more Lutheranorum carnis vesceretur; maritus velut catholicus a mensa ejus abhorruit, et illa quidem sedente ad mensam, ac maritum ridente, ipse sibi cibos esuriales absque carnis nimirum afferri jussit, et in limine ostii domestici sedens, solus comedit, quod religio catholica permittit. Visa tandem mulier hac mariti tam constanti religione, cogitare cœpit, sanctam oportere esse religionem catholicam, pro qua observanda maritus tantam subeat abjectionem, exeraque fervorem, et humi potius sedere et vili edulio contentus esse velit, quam prohibitis cibis, fidei catholice maculam aspergere. Quare manus dedit, et eandem, quam vir tenuit religionem, amplexa est, in eaque se tam strenuam præstitit, ut prædium suum studiosæ juventuti Græcii legarit. Id quod a viris fide dignissimis relatum mihi accepi, cum in prædio illo per octo dies degerem. Ecce quid non potest virtuosum mariti exemplum ad trahendam consortem! Esto igitur sponse nauclerus, esto sponsa navis: ita fiet ut in domum vestram afferatis panem et corpori et animæ salutarem.

CONCIO XXIV.

PAR COLUMBARUM TYPUS CONJUGUM,
EX LEVIT. C. XII.

Quemadmodum puerulis, cum incipiunt legere litteras, tabella in manus datur, in qua varia descripta sunt vocabula, paulo difficiliora; quæ ut facilius legere ac pronuntiare discant, appictæ sunt res illæ, quæ vocabulis significantur, v. g. columba ipsis nota, ut ignotum addiscant columbæ vocabulum exprimere. Difficile prorsum nomen est matrimonium, quod hominem ita alligat ad unam conjugem, ut cum ea cohabitare semper usque ad mortem obligatus sit. Grave certe jugum, grave est hoc conjugium. Id tamen ut facilius ferre discant ii, qui hoc jugum subeunt, appinxit eis Deus et ob oculos posuit typum illius, columbas, quæ, cum et ipsæ in conjugio vivant et pacatissime, æstinatæ sunt a Deo ad nostra domiciliæ, ut in illis habitent et conjuges edoceant, inquilinæ suæ hospites, qua ratione et ipsi in conjugio suo pacate vivere